



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

Grumsel, Gérard

Mechliniae, 1666

Prima. Andreas Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus
Mechlimiensis & c. omnibus has visuris salutem in Domino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13399

APPROBATIONES
MIRACULORUM

P. R. I. M. A

Andreas Dei & Apostolica Sedis gratiâ
Archiepiscopus Mechliniensis, &c. omnibus
has Visuris salutem in Domino.

Cum nuper approbaverimus sacras Reliquias de Brachio
dextero Sancti *Francisci Xaverii* Indiarum Apostoli,
easque publicæ venerationi exponendas esse decreverimus,
quò magis Dei cultus, qui in Sanctorum suorum honoribus
honoratur, caperet incrementum, usque rite & solemniter in
Templo R. R. Patrum *Societatis JESU* Collegii, & Domus
Probationis Mechliniensis expositis, tantâ in veneratione, tam
à populo Mechliniensis, quàm à circumjacentibus haberi cæptæ
sint, ut Divina Bonitas, quæ innumeris miraculis per varias mundi
plagas hunc Sanctum suum mirificavit, hanc etiam Christi
Fidelium devotionem variis signis & subitaneis curationibus
ostenderit sibi esse acceptam. Nos igitur, quibus nihil magis cordi
est, quàm ut honor Dei nostri, qui Zelotes est, in creaturis
suis erga Sanctos suos crescat, & incessabili gratiarum actione
laudetur, deputavimus è Capitulo nostro Metropolitico R. R. Ad-
mod. D. D. Confratres nostros *Dismam Corten* Cantorem, &
Franciscum vanden Driessche Archipresbyterum, J. U. Licentiatos
& Canonicos, qui juxta SS. Canones & Sacrosancti Concilii
Tridentini formam, examinarent sollicitè omnia, quæ ad nos
miraculosè accidisse indies delata sunt. Quibus discussis, & exa-
minatis informationibus Medicorum, & testium depositionibus
in approbandis Miraculis adhiberi solitis (ex quibus constat &
liquet *Joannem Gommaert*) Juvenem octodecim annorum à gra-
vissima

vissimâ Phrenitide, & morbo furioso, matre ejus *Sarâ Diffon* ad Sacras Sancti *Francisci Xaverii* Reliquias pro filio suo votum faciente, precesque fundente, subitanè & perfectè curatum esse: Item *Annam van Bael* ætatis annorum septemdecim, dum ad dictas S. Reliquias per *Novenari* preces fundit & votum, sinistri oëuli triennali cœcitate curatam, & ex dextero, qui propemodum ex duobus floccis, seu pelliculis illi incumbentibus omni potentiâ visivâ destitutus erat, planè sanatam, ut utrâque oculorum acie ab eo tempore perfectè utatur) Nos de virorum gravium consilio & assensu, in Dei nomine, utramque istam in dictis *Joanne Gommaerts*, & *Anna van Bael* curationem, prout latius in dictis informationibus probata est, supernaturalem, & non nisi Divinâ virtute & Miraculo factam esse, & Sancti *Francisci Xaverii* intercessioni adscribi posse declaravimus, (in puncto trium calculorum nostrorum felicitatis sectionis, quam etiam magni illius Sancti intercessioni summâ fiduciâ commendaveramus) & declaramus per præsentem: Exhortantes omnes Christi fideles ad sacram dictarum Reliquiarum venerationem & cultum, ut per intercessionem S. *Xaverii* tam à mentis, quàm à corporis infirmitatibus in Domino mereantur liberari.

Datum Bruxellæ in Aula nostra Archiepiscopali sub nostris signatura & sigillo die 10. Mensis Maii, Anno Domini M. DC. LX.

Locus † sigilli.

Andreas Archiepiscopus Mechliniensis.

Q. 2

SE-